

ribus conjunctæ advolabunt, uti S. Augustinus tradit. Satis nobis futurum est, cum Cerinthi deliramentis, ineptiisve Papiæ, five cum omnium Chiliafaram figmentis componi non posse hunc Apoc. locum; immo inde validius confirmari Catholicæ Ecclesiæ sententiam de conlata & conferenda Justis cælesti Beatitate, minime expectato postremo divini Judicis Adventu.

C A P. VI.

*Improbi statim post mortem in Inferorum penas conlatti, Martyrum Animæ Corpore solute, communi Ecclesiæ calculo, conlatti Beatitudine Cælesti donata. Non unus Dies Domini; non unus Adventus. Neque tantum Martyres, sed & ceteri Justii, non expectato Corpore, Celorum Regnum ingressi.*

Veterum Traditionem pro Opinione sua laudat, nobisque objicit Burnetus; merito ne, ad inquirendum nunc progrediamur. Ego tria ostendendo mihi sumo, quæ veluti Theoremata tria præ oculis futura semper nobis sunt in quæstione, quam præ manibus habemus. Primum est, communem ab exordio Ecclesiæ sententiam fuisse, Improbos, atque in peccatis creptos vitæ, illico in æterna Supplicia fuisse deturbatos. Secundo, communiter quoque creditum, Martyrum in primis Animas post tormenta ac mortem in beatissima Cœli tabernacula sine mora fuisse translatas. Tertio, etsi non defuerint, qui ad universalis usque Resurrectionis tempus differendam censere cœlestis Beatitatis possessionem: contrariam tamen doctrinam, quæ in Ecclesia Catholica viget, prævaluisse semper; neque illam novam, sed ab ipsis Apostolorum temporibus acceptam, dignam tandem fuisse visam, quæ post serium examen stabili decreto firmaretur. Si tria hæc ostendero, nullus dubito, quin æquus rerum judex continuo intelligat, vel eos ipsos, qui tandem distulere æternam felicitatem Justorum, non amplius esse audiendos.

Theorema Primum.

Nam primo ubi firmum fiet, a primis Ecclesiæ Sæculis persuasam fuisse Christianis, Injustos post mortem in Inferorum tormenta continuo abripi, ruant etiam oportet fundamenta quævis, quibus nititur Burneti fabrica, & suffragium ex aliquot veterum Patrum auctoritate petitum. Contendit ille, in uno universali Judicio totius humani generis opera esse examinanda, & tunc solum decernendum Bonis præmium, Malis supplicium, Animabus defunctorum interea dormientibus, & postremi illius diei sortem aut faustam, aut miseram expectantibus. Contra, si constet Impiorum & Iniquorum Animas, vix e Corpore solutas, in Tartareas penas detrudi jam manu tenes, præcessisse privatam & occultum operum examen, Deique Judicium, & reorum penam: quæ cunctis manifestandi demum erunt